FLORA.

№ 11.

Regensburg. Ausgegeben den 20. Mai. **1870.**

Inhalt. Dr. J. Müller: Neue Flechten. — Ders.: Neue Apocyneen aus Neu-Caledonien. — Gelehrte Gesellschaften. — Personalnachrichten. — Notiz. — Verzeichniss der für die Sammlungen der königl. botan. Gesellschaft eingegangenen Beiträge.

Neue Flechten von Dr. J. Müller, Conservator hb. DC.

1) *Diploicia epigaea* Mass. var. *major*, thallo K ± Ca Cl = *) valide evoluto candido ambitu pulchre lobato-effigurato haud arcte adpresso, apotheciis junioribus caesio-pruinosis dein nigris planis majoribus demum 1—1½ mm. latis, ascis 8-sporis, sporis 18—23 mikr. longis. — Hab. in monte Grand Muveran supra Bex, circ. altit. 6000 ped., cum *Lecidea Hookeri*, *Dacampia Hookeri*, *Polyblastia Sendtneri*, *Patellaria carneo-albida*, *Biatorella hemisphaerica* Anzi, *et Sphaerella Schäreri* Anzi.

Sporae et asci nec non lamina ut in speciminibus bene evolutis varietatis β. *intermediae* Schrad. circa Monspelium lectis, et ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Fl. Europ. t. 17, fig. 144.

2. *Lecanora* (sect. *Ochrolechia*) *megalocarpa* Müll. Arg.

Thallus K ± Ca Cl = membranaceo-cartilagineus, sublaevigatus, dein tartareus et gleboso- v. undulato-subareolatus, demum in herbario flavicans, albus, margine tenuissimus et sericeo-albus

*) Conf. ad cl. Nyland. in Flora 1869 p. 442.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03651-0163-3

et sensim evanescens. Apothecia sessilia, juniora margine crassissimo integro cincta, albido-carnea, evoluta ampla, 3—5 mm. lata, margine valido crebre undulatissimo cincta, semper pallide carnea, mox superficie plus minusve rugulosa v. subtuberculata. Lamina Jodo coerulescens, *K aurantia* inferne autem in regione medullari adjuncto Ca Cl. non tincta. Asci cylindrici. Sporae in ascis tantum 2-nae v. 4-nae, uniseriales, evolutae 80 mikr. longae et 45 mikr. latae.

Habitat in montanis ad corticem truncorum annosorum Laricis, pulcherrime supra Bex in monte Grand Muveran ad terminum arborum.

Nulli nisi *Lecanorae pallescenti* et *L. tartareae* affinis. A priore differt apotheciis amplis valde undulato-crenatis haud pruinosis pallide carneis, et ascis cylindricis et oligosporis, et ab affiniore posteriore differt: medulla ope *K flavicante* et adjuncto Ca Cl non sanguineo-tincta, apotheciorum margine valde undulato-crenato, ascis oligosporis et cylindricis. — Evidenter pro *L. pallescente* δ. *albo-flavescente* Schaer. Enum. p. 79 pro parte habita fuit, sed *Lichen albo-flavescens* Wulf. in Jacq. Collect. vol. 3. p. 111. t. 5. fig. 1 (1789) in Quercu Robore crescens, apotheciis diametro vix $2^1/_2$ mm. attingentibus margine integro cinctis flavo-aurantiacis, tantum ob locum arboreum nec saxatilem a *L. tartarea* dubitanter distinctus, a nostra planta diversus est. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Fl. Europ. t. 71. fig. 622.

3. Liceat de *Gyalectae lecideopsis* (Mass. Misc. p. 39, 1856) variationibus quaedam addere.

Thallus quidem satis constans, tenuissimus, argillaceo-albescens et continuus, sed apothecia eorumque structura mire ludunt. Juvenilia leviter tantum e thallo hemisphaerico-emergunt et Verrucariam thallo concolorem, sc. excipulo omnino thallode tectam simulant et diametro $^1/_{10}$ mm. aequant; mox dein sensim sensimque magis emergunt et margo exterior thallodes e vertice radiatim rimoso-rumpitur in lacinulas 4—6 v. saepissime 5, paulo inaequales, quarum apices demum iterum saepe bilobi evadunt. Hae laciniae dein eo magis peripheriam versus retrahuntur quo margo proprius olivaceo-nigricans et integerrimus cum lamina evolvitur, in aliis tamen speciminibus mox laudato modo quasi evanescunt et tantum latere exteriore apothecia obtegunt, in aliis autem, saltem pro parte, diu persistere solent et faciem alienam fallacem praebent. Apothecia evoluta $^1/_{10}$—$^4/_{10}$ mm. lata,

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03651-0164-9

margine exteriore tantum vestigiis laciniarum 5—10-crenulata sunt v. demum omnino integra evadunt, caeterum ludunt disco planiusculo aut depresso-urceolari, magis minusve olivaceo-nigricantia, nunc magis opaca, nunc statu madido magis tremellino-subpellucida. Epithecium leviter fuscescens. Lamina hyalina v. subhyalina. Hypothecium crassum, olivaceo- v. fumoso-fuscescens. Paraphyses tenues. Asci quoad numerum sporarum summopere ludunt, saepius 6-spori, alii autem saepe occurrunt 4—5-spori, aut 7—8-spori, alii demum rariores 2—3-spori, et unum vidi integrum 1-sporum. Sporae vulgo eo ampliores quo minus in ascis numerosae, longitudine 18—35 mikr. et latitudine 9—16 mikr. ludunt.

In fauce quadam silvulae frondosae Bois d'Onex, prope Genevam legi cum *Acarospora Heppii*.

4. *Biatora incrustans* Mass. v. *athallina*, thallo omnino deficiente, apotheciis exiguis ex parte luridescentibus, sporis 7—9 mm. longis fere duplo longioribus quam latis. — Hab. in praeruptis frigidis et ventosis montis Grand Muveran, supra Bex, altitud. 6000 ped., cum *Microthelia hecatonspora* v. *athallina* mixta. — Sporae latiores quam in forma normali, ambitu ut in Hepp Fl. Eur. t. 76. fig. 584.

5. *Biatora Cadubriae* Mass. Sched. p. 176 var. *symphicarpoides*.

Thallus obsoletus. Apothecia fuscescentia, pallidius et obscurius variegata, mox plicatim spurie plus minusve gibboso-multiplicia, simplicia juniora $^5/_{10}$—$^7/_{10}$ mm. lata, spurie symphicarpea diametro 1 mm. v. paulo ultra aequantia, demum subinde obscure lurido-fuscescentia, sed haud nigricantia, epithecium semper pallidum.

Habitat ad pedem montis Grand Muveran supra Bex, ad truncos denudatos lente putrescentes Coniferarum, rarius ad eorum corticem, loco dicto: Pont de Nant, cum *Buellia parasema* β. *saprophila*.

Primo intuitu ob thalli defectum et apothecia irregulariter accrescentia species diversa videtur, sed structura fructuum satis durorum et reactio jodina partium optime cum forma normali speciei quadrant et apothecia juniora caeterum bene conveniunt. Sporarum minutie (6—8 mikr.) etiam a simili *Biatora porphyrospoda* Anzi Sym. p. 13, et Lich. rar. n. 339 et a reliquis subsi-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03651-0165-5

milibus distinguitur. Planta nonnihil fallax, primo intuitu facile pro forma fuscata *Lecanorae sarcopis* (Wahlenb.) Nyl. in Flora 1869 p. 412 haberi potest. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Fl. Europ. t. 96. fig. 845.

6. *Biatora* (sect. *Lecidea*) *annularis* Müll. Arg.

Thallus K = Ca Cl = effusus, tenuissimus, tartareo-farinosus, niveus, hypothallo distincto destitutus, v. omnino evanescens. Apothecia arcte sessilia, juniora crassius, evoluta tenuius marginata, evoluta $^{9}/_{10}$—$^{13}/_{10}$ mm. lata; discus niger et epruinosus, planus v. leviter convexus; margo semper prominens, niger et latere interiore annulo caesio-pruinoso discum eleganter cingente praeditus, caeterum supra et extus ad latera niger. Lamina sporigera ampla, subhyalina v. superne pallide aeruginoso-fuscescens, solutione jodina pulchre et pure coerulescens; epithecium fumoso- v. demum aeruginoso-fuscescens, hypothecium crassum pallide nigrum v. aeruginoso-nigricans; paraphyses conglutinatae; asci 8-spori, ampli, ventricoso-obovati, circ. 100 mik. longi et 40 mikr. lati, apice rotundato-obtuso incrassati. Sporae 22—26 mikr. longae, 14—17 mikr. latae, late ellipsoideae, utrinque saepius late rotundato-obtusae.

Habitat in monte Grand Muveran supra Bex, in saxis calcareis ventosis paulo supra arborum terminum, cum *Lecidea petrosa* Arn., et *Solorina bispora* Nyl.

Cum pluribus offert affinitatem. A *L. turgida* recedit forma apotheciorum et sporis minoribus, a *L. coerulea* differt praeter alia sporis multo majoribus. A simili *Porpidia trullisata* distinguitur margine intus tantum pruinoso, extus undique nudo, apotheciis atris et sporis majoribus. *Lecidea zeoroides* Anzi Symb. p. 17 et exs. n. 357 dein minutie et angustie sporarum et thecarum et paraphysibus solutis longius distat. A *L. petrosa* Arn. Lich. Fragm. 4 autem, cui etiam proxime accedit, discernitur apotheciis junioribus minus crasse marginatis minusque gyalectiformi-concavis, evolutis magis adpressis minus duris haud annulatis, lamina sporigera fere duplo altiore (!), ascis multo amplioribus, sporis ambitu latioribus utrinque rotundatis et hypothec. et epithec. paulo aliter coloratis. In omnino iisdem paucissimis speciminibus caeterum ante aliquot menses colorem aeruginosum hypothecii et epithecii longe minus distinctum observavi quam nuperrime, illae partes enim potius fumoso- v. fuscescenti-nigrican-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03651-0166-1

tes erant hinc inde tantum lenissime fumoso-coerulescentes. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Fl. Europ. t. 74. fig. 656 ad dextram.

7. *Biatora* (sect. *Lecidea*) *Muverani* Müll. Arg.

Thallus K = Ca Cl = tartareo-farinosus, tenuis, hinc inde subundulatus v. ad vestigia dendritico-effusa v. minute depresso-globulosa depauperatus, candide albus, indeterminatus, evolutus, contiguus, haud rimosus, protothallus indistinctus; apothecia numerosa, superficialia, laxe sessilia, basi constricta quasi substipitata, in thallo albissimo aterrima, evoluta $^4/_5$—$1^1/_5$ mm. lata, juniora exigua, concava, prominenter marginata, dein plana, demum levinscule convexa saepeque centro umbonata aut irregulariter lirelliformi-costata, intus undique aterrima, sicca madidaque tenaciter dura; hypothecium latum, fusco-atrum; lamina circ. 40 mikr. alta, pallide fusca et solut. aquosa Jod. impure coerulescens; paraphyses arcte conglutinatae; thecae cylindrico-obovatae circ. 30 mikr. longae, superne 8—11 mikr. latae, apice obtuso incrassato-solidae; sporae in ascis octonae, biseriales, parvae, 10—12 mikr. tantum longae, ellipsoideae, utrinque rotundato-obtusae, rarius late ovoideae, dimidio longiores quam latae.

Habitat in rupibus calcareis montis Grand Muveran paulo supra terminum arborum, cum *Polyblastia Sendtneri* et *helvetica*, *Sphaerella Schaereri* Anzi, *Biatorella hemisphaerica* Anzi.

Prope *Lecideam emergentem* et *L. furanam* locanda est. Species colore thalli, forma et duritie apotheciorum, colore laminae undique fusco et minutie sporarum insigniter distincta et elegans. A subsimili *Biatora nivea* Müll. Arg. in Flora 1868 p. 391. differt hypothallo non coerulescente, thallo pure albo et apotheciis multo magis elevatis, junioribus neutiquam subimmersis. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Fl. Eur. t. 83. fig. 715.

8. *Biatora* (sect. *Lecidea*) *deplanatula* Müll. Arg.

Thallus K = Ca Cl = effusus, tenuiter subleproso-tartareus, contiguus v. demum tenuiter fracto-rimulosus, e virescente fuscus, superficie sublaevigatus; protothallus peculiaris deficiens; apothecia extus intusque nigra, primum innato-adpressa, urceolata et exigua, dein adpresso-sessilia mox late aperta et persistenter deplanato-plana, anguste marginata, evoluta $^1/_{10}$—$^6/_{10}$ mm. lata, reliqua saepius $^3/_{10}$—$^4/_{10}$ mm. lata; lamina hyalina v. subinde leviter nebuloso-coerulescens, angusta; epithecium nonnihil coeru-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03651-0167-6

lescenti-fuscum v. demum nigricans, hypothecium crassum fusco-nigricans; paraphyses laxae ab ascis facile segregatae, tenuissimae, flexuosae, apice incrassato-clavatae, clava vulgo obliqua subcoerulescenti-nigra; asci obovoideo-cylindrici, circ. 35 mikr. tantum longi et 9 mikr. lati, apice parum pachydermii, solutione jodina cum paraphysibus cupreo- v. fusco-tincti; sporae octonae, simplices, hyalinae, 8—11 mikr. longae, 2½—3-plo longiores quam latae, ovoideo- v. ellipsoideo-subfusiformes, utrinque obtusiusculae.

Habitat in fragmentis saxorum erraticorum ad pedem montis Salève prope Genevam.

Affinis *Lecideae sylvicolae* Fw., Körb. Syn. p. 254, quacum reactione jodina convenit, sed differt (ex specim. Körb. in hb. Müll.) apotheciis planis et paraphysibus minime conglutinatis. A *Lecidea erratica* Körb. Parerg. p. 223 recedit sporis majoribus magis oblongatis et paraphysibus, et dein a *Lecideà expansa* Nyl. in Flora 1865 p. 355 seu *L. dispansa* ejusd. l. c. 1866 p. 117, quacum apotheciis convenire videtur, reactione jodina omnino alia. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Fl. Europ. t. 84. fig. 731.

9. *Patellaria* (sect. *Scoliciosporum*) *atroviridis* Müll. Arg.

Thallus K = Ca Cl = subtenuis granulatus v. subinde areolato-granulatus effusus, siccus virens humectatus intense subatroviridis. Hypothallus distinctus nullus. Apothecia arcte sessilia, evoluta $^{3}/_{10}$—$^{6}/_{10}$ mm. lata, raro $^{7}/_{10}$ mm. diametro attingentia, semper plana et tenuiter marginata, atro-fusca v. subatra, intus cinerea, margine integro nonnihil nitidulo. Hymenium circ. 50 mikr. altum; hypothecium incolor aut pallide fuscescens, lamina hyalina, epithecium coerulescenti-fuscum. Gelatina hymenialis cum ascis et paraphysibus solutione aquosa jodina pulchre cupreo-tincta, haud coerulescens. Paraphyses subliberae, superne modice incrassatae. Asci 45 mikr. longi, subcylindrici, superne 10 mikr. lati aut angustiores et mediocriter pachydermei. Sporae videntur 8-nae, in ascis leniter contortae, 35—40 micr. longae, insigniter tenues, aciculiformes, superne paullo crassiores at diametro ibidem vix 2 mikr. aequantes, extra ascos haud v. vix tortae, saepius fere omnino rectae, tenuissime et subindistincte pluriseptatae.

Habitat in lapidibus arenaceis ad sepes prope Veyrier, ad pedem montis Salevae.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03651-0168-2

A speciebus editis Scoliciospori jam apotheciis planis et reactione jodina recedit, et a *Lecidea egenula* Nyl. in Flora 1865 p. 147, cui propius accedit, thallo optime evoluto granuloso aliter colorato, apotheciis duplo majoribus, epithecio colorato et sporis majoribus differt. — Sporae extra ascos ambitu ut in Hepp Abbild. Fl. Eur. t. 60. fig. 518.

10. *Sagedia* (sect. *Thelidium*) *Schleicheri* Müll. Arg.

Thallus K = Ca Cl = effusus, contiguus, tenuiter farinoso-tartareus, superficie subplicato-verruculosus, argillaceo-albidus, hypothallo distincto destitutus. Apothecia in verrucis mastoideis conico-semiglobosis cinereo-farinosis inclusa, apice tantum nigro opaco primum impresso-punctato dein sensim amplius infundibuliformi-umbilicato emergentia, tota circiter dimidia altitudine in thallo nidulantia; epithecium dimidiatum, a nucleo ellipsoideo paulo altiore quam lato et basi breviter in alveolum saxi immerso mox fere tota longitudine secedens eique tantum vertice adhaerens et subhorizontaliter expansum. Massa hymenialis sicca pallide fuscescens, solutione aquosa jodina coerulescens. Asci late ventricosi, gibboso-obovoidei, sporis vix triplo longiores, basi breviter angustati, mox diffluentes. Paraphyses indistinctae. Sporae in ascis octonae, hyalinae, 2-loculares, cylindrico-ellipsoideae, utrinque subrotundato-obtusae, medio haud constrictae, valde leptodermeae, 22—30 mikr. longae, 10—12 mikr. latae, ut in Hepp Abbildungen Spor. Fl. Europ. t. 50. n. 441. — Habitat in saxis calcareo-schistosis montis Grand Muveran Alpium helvet. supra Bex, paulo supra casulam La Larze dictam.

Affinis est *Thelidio Ungeri* Körb. Syst. p. 348 et *Verrucariae Ungeri* Garovagl. (quae etiam includit *Thelidium galbanum* Körb., s. *Sagedia Borreri* Hepp Fl. Eur. n. 441), et quoad thallum et sporas cum specimine prope Kitzbühel lecto *Thelidii Ungeri* optime quadrat, sed differt omnino apotheciis fere undique strato thallode tectis et forma epithecii. Structura apotheciorum cum *Thelidio pyrenophoro* Kbr. s. *Verrucaria Pseudo-Dufourii* Garov. Tent. quadrat, sed apothecia s. perithecia paulo minora, thallus haud laevigatus et aliter coloratus, sporae optime evolutae et permultae visae semper minores et 2-loculares, nec 4-loculares. Insuper ab ambabus recedit reactione jodina. — Inter species nuperius a cll. Nyland., Arnold, Th. Fries, Garovaglio, Baglietto editas nihil inveni cui *Sagedia Schleicheri* adscribi potuisset. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Fl. Eur. t. 50. fig. 441.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03651-0169-0

11. *Arthopyrenia cinereo-pruinosa* Mass. var. *Mezerei*, thallo albescente laevigato maculari-effuso haud limitato mox ex majore parte evanescente v. circa perithecia anguste persistente, peritheciis parvulis saepe nonnihil confluentibus primum cinerascente-nebulosis et impuris saepe areola nigra cinctis saepius deplanato-convexis et vulgo opacis demum post evanescentiam thalli *A. punctiformem* (Hepp E. Fl. n. 453) simulantibus, thecis cylindricis, sporis evolutis 15—18 mikr. longis et tantum 2—2½-plo longioribus quam latis utrinque rotundato-obtusis, hemisporis leviter panduriformibus (ut in Hepp Abbild. Fl. Europ. t. 53, fig. 456 *Fraxinea*, sed ambitu minus oblong.). — Hab. in caulibus *Daphne Mezerei*, prope Genevam.

12. *Microthelia hecatonspora* Anzi Neosymb. p. 12, var. *athallina*, thallo deficiente, apotheciis (opacis rugulosis) saxi alveolis ex majore parte immersis. — Hab. in monte Grand Muveran, supra arborum terminum, cum *Biatora incrustante* v. *athallina* mixta. — Sporae ut in Caliciis, 5—6½ mikr. longae, 2—2½ mikr. latae, ambitu ut in Hepp Abbild. Fl. Eur. t. 81. fig. 710, leviter minores quam in *M. hecatonspora* Anzi Neosymb. p. 12 et Exs. n. 489.

Neue Apocyneen aus Neu-Caledonien, eingesandt von Dr. J. Müller, Conserv. hb. DC.

Heurckia Müll. Arg. nov. gen.

Calyx quincuncialiter 5-partitus, intus eglandulosus. Corolla hypocraterimorpha; tubus cylindricus, alte staminiger; lobi (e centro floris visi) dextrorsum contorto-imbricativi, in alabastro erecti; faux exappendiculata. Stamina 5, cum lobis corollae alternantia; filamenta brevia, antherae triangulari-ovoideae, acuminatae, basi obtuse bilobae, praetor apicem tota longitudine pollinigerae, longitrorsum et leviter introrsum birimosae. Grana pollinis simplicia. Discus hypogynus cylindrico-tubulosus. Ovaria duo distincta, in stylum communem abeuntia; stigma bicuspidatum, basi annulato-dilatatum. Placentae media altitudine collateraliter biovulatae. Ovula hemianatropa, adscendentia. Fructus gemini v. abortu solitarii, drupacei; epicarpium membranaceum, mesocarpium coriaceo-carnosum, endocarpium subosseum. Semen in quaque drupa solitarium, latere affixum. Spermodermium tenue, rigidum. Albumen

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03651-0170-2

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1870

Band/Volume: 53

Autor(en)/Author(s): Müller J.

Artikel/Article: Neue Flechten 161-168